



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

Haimo <Altissiodorensis>

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1551

VD16 H 222

Dominica xvi. post penteco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39335

narium remunerationis, qui in uinea laboranti-
 bus, promissus est, percipient. Et ait illi: Surge, uade.
 Qui humiliter ante pedes domini ceciderat, recte audire meruit: Surge, uade. Quia sicut ipse ait in euangelio: Omnis qui se humiliat exaltabitur.
Luc. 14. & 18. Et sicut per Salomonem dicitur, Humilem spiritu sequitur gloria. Tunc autem peccator surgere & abire permittitur, quando per dignam satisfactionem a peccatis absoluitur. Et quia sine fide impossibile est placere deo, recte subditur:

Heb. 11.

Quia fides tua te saluum fecit.

Fides enim principalis est uirtus, quia sicut ait scriptura: Iustus ex fide uiuit. Et sicut Apostolus: **2. Co. 13.** Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hec. Vera est autem fides quæ hoc credit mente, quod non uidet corpore, teste Apostolo, qui ait in epistola ad Hebræos: Est fides sperandarum rerum substantia, argumentum non apparentium.

Heb. 11.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN. ad Galatas V. & VI.

FRatres, Si uiuimus spū, spiritu & ambulamus &c. Hic de spū sancto loquitur. Si inquit, uiuimus spiritu, hoc est, si per spū sanctum uitam habemus, per quam uiuimus deo, spiritaliter debemus conuersari & uiuere, ambulantes de uirtute in uirtutem: uirtutem sectando, uitia respiciendo. Vita animæ, fides est, qua credimus deum omnipotentem. Et sicut corpus uiuit anima, ita anima uiuit fide, iuxta quod per prophetam dominus dicit: Iustus autem meus ex fide uiuit, quod si subtraxerit se, non placebit animæ meæ. Quæ si de per spū sanctum nobis tribuitur, qui est un⁹

Haba. 2.

substantiæ cum deo patre & filio. Et non solum fides ab illo nobis datur, sed si quod boni habemus, ab illo nobis administratur. Nō efficiamur inanis gloriæ cupidi. Quæ est inanis gloriæ? Laus humana, fauor terrenus. De qua dicit Apostolus: Si ab hominibus gloriam quæro, gloria mea nihil est. Quæ recte inanis dicitur, quia uacua est ab omni utilitate. Est tamen & gloria utilis, de qua dominus dicit: Qui me glorificauerit, glorificabo eum. Qui sunt ergo cupidi & inanis gloriæ appetitores? Qui pro bono quod agunt, non querunt deo placere, neque mercedem æterni muneris ab eo recipere, sed gloriam & laudem temporalem, de quibus dominus dicit: Omnia opera sua faciunt, ut glorificentur ab hominibus. Isti tales audient in die iudicij: Recepistis mercedem uestram. Quia sunt multi, qui non solum pro bono quærent laudari, sed etiam pro malo: & non solum ab alijs, sed ipsi per ipsi se extollunt, & gloriantur de uirtutibus. Perfecta autem & plena gloria est, ut homo pro bono quod agit, omnipotenti deo desideret placere in corde, & ab illo mercedem expectet: & gaudeat in corde quod placet creatori suo: & ita agat bonum quod operatur, ut opus sit in publico, & intentio in occulto. Qui hoc facit, ille non est cupidus inanis gloriæ, sed plene. [inuicem prouocantes] uos ad iracundiam, ad lites, ad contentiones. [inuicem inuidentes] uobis Erant apud Galatas quidam seducti a pseudo apostolis & a Iudæis, contententes de genealogijs & quæstionibus legis, ex quibus quidam dicebant: Melior est circumcisio quam baptismus. & contra alij, Melior est baptismus quam circumcisio. Item alij dicebant melio-

rem esse allegoriam quam historiam: quia allegoria (id est, spiritalis intelligentia) uiuificat, litera autem occidit. E contra alij dicebāt, Melior est historia ubi ueritas cōtinetur, q̄ allegoria uaria & umbratica.

Fratres, etsi præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto.] Præoccupare est prouenire, unde
Psal 94. in psalmo cantatur: Præoccupemus (id est, proueniamus) faciem eius in confessione peccatorum nostrorum. Præoccupatur ergo homo in peccato, quando subito & insperate peccat, quod antea nō fuerat præmeditatus. Quando uero antea præmeditatur quomodo perpetret homicidium, adulterium, aut aliquid tale, non est præoccupatio, sed præmeditatio & perpetratio sceleris. Et aliter reprehendendus est ille, q̄ insperate peccat q̄d antea præmeditatus non fuerat, id est, prouentus a peccato: & aliter ille, qui diu illud præmeditatur. Ille enim corripendus est, cum lenitate mentis, ne labatur in desperationem: iste uero acriori indiget castigatione. Et bene addidit, homo: quia fragilis est & caducus, citoq; labens ad culpam: & maxime illi, qui simplicitatem habent astutia. [uos qui spirituales estis,] qui spiritalem uitam ducitis, & solidati estis in fide & doctrina, illos qui præoccupantur & simpliciores sunt, [instruite & corripite leni affectu mentis & cum sua uitate, promittentes eis ueniam, ne forte in lapsum desperationis ruant.] Considerans te ipsum, ne & tu tenteris.] Considerans quia homo fragilis es natura, sicut & ille. ideoq; potest tentari & proueniri a peccato, sicut & ille: & dum consideraueris posse te tentari & in peccatum ruere, sicuti uelles corripi sit alia ageres & castigari, ita cum lenitate mentis corripe & aduone

illum. Alter alterius onera portate, & sic ad-
 implebitis legem Christi. Sunt onera alicuius
 ponderis, & sunt onera peccatorū, de quibus Psal-
 mista ait: Quoniam iniquitates meae supergressae **Psal. 37**
 sunt caput meū, & sicut onus graue grauatae sunt
 super me. De q̄ onere & hic dicitur. Et est sensus:
 Sicut tu patienter portari & sustineri uis ab alio,
 si peccas, & cum moderatione corripi, porta simi-
 liter patienter fratrem tuū, si peccauerit. ¶ Potest
 & aliter intelligi secundum sensum beati Hiero-
 nymi: [Alter alterius onera portate,] hoc est, qui
 abundas diuinijs bonis q̄ tēporalibus, sustēta fra-
 trum paupertatem. Verbi gratia: Habeo sororem
 pauperrimam, cuius paupertas onus meum est:
 prabendo ei uictum & uestimentum & calceamē-
 tum, sustento onus meum. Habeo uxorem, quia
 non possum esse continens, sed egestate nimia pre-
 moritu qui deo donante continens es, & bonis tē-
 poralibus abundas, porta onus meum. Vide com-
 paratiōem seruorum in epistola ad Colossenses,
 quam beatus Augustinus ex hoc docet. Et si in
 animalibus non utentibus ratione illud fit, quan-
 to magis in hominibus debet fieri? Si inquit, hoc
 feceritis, adimplebitis legem Christi: hoc est, præ-
 ceptū Christi q̄d ipse dedit discipulis, dicens: Hoc **Ioh. 15.**
 est præceptū meum, ut diligatis inuicē. Et iterum: **& 13.**
 Mandatum nouum do uobis, ut diligatis inuicem.

Nam si quis existimat se aliquid esse, cum
 nihil sit, ipse se seducit. Hoc est, qui cōfidens in
 suis uirtutibus & meritis, dedignatur onus fratris
 portare, castigando cum suauitate & admonitiōe
 dulci, cum sit ipse nihil apud deum, quia eius ope-

ra deo non placent, ipse se seducit & decipit. Ideo autem dicitur nihil esse, quia non adhæret illi qui substantialiter habet esse, & qui nostrę fragilitati condolens, pro nobis humiliari dignatus est cum deus esset. Omnis enim creatura quę non adhæret illi qui semper habet esse, nihil est.

Opus autem suum probet unusquisq; hoc est, consideret quid boni habeat factum, & sic in corde suo gaudeat, eo quod placet creatori suo, & non quærat alterius laudem.

Vnusquisq; enim onus suum portabit.

Contraria uidetur hæc uerba superioribus, ubi dixit: Alter alterius onera portate. Sed sciendum est quia illa pertinent ad tempus præsentis uitę, ista uero ad diem mortis, uel generaliter ad diem iudicij. Et est sensus: Qualia fecerit unusquisq;, talia recipiet. Si bona fecerit, bona recipiet: si mala, damnationem æternam recipiet. Et notandum quia onus in hoc loco, in bonam & in malam partem potest accipi, quia & ad electos & reprobos pertinet. Onus sanctorum erit magnitudo glorię: onus reproborum, ineffabilis miseria & cruciatus.

Communicet autem is qui catechizatur uerbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis.

Communicet autem, id est, is discipulus uel qui libet auditor, qui instruitur & docetur uerbo doctrinę, communicet uel administret ei magistro & prædicatori in omnibus bonis, qui se instruit & docet. Auditores & discipulos admonet ut doctoribus suis a quibus accipiunt uerbum uitę & fidei, impendere studeant bona temporalia, hoc est, uictum & uestimentum, quia dignus est operari-

us mercede sua: & dñs ordinauit de euangelio ui-
 uere, qui euangelium annunciant. Possumus & p 1. Cori 9
 uerbum intelligere, deuotiōis fructum & rem bo-
 ni operis & fidei, ut illud Moyſi: Quō palam factū
 est uerbum istud? Sed referamus hoc uerbum ad Exod. 2
 discipulum: cōmunicet, id est, placabilem se præ-
 beat studio & fructu deuotionis discipulus qui ca-
 techizatur a magistro qui se instruit, & docibile
 & obedientem in oibus bonis quæ deo displicent
 reddit. Porerat aliquis discipulorum dicere: Non placent.
 habeo quod impendam magistro, quia hoc anno
 ager meus nimia siccitate aruit, uinea mea grandi-
 ne consumpta est, oues pestilentia corruptæ sunt,
 sues sanguine tumefcente mortui sunt. Sed ut A-
 postolus omnem occasionem excluderet, dixit:

Nolite errare, deus non irridetur.

Hoc est, nolite mentiri, quia homo potest menda-
 cium suscipere, deus uero non potest: & deus qui
 omnia secreta cordium penetrat, non potest falli.
 Dicis, o auditor quicumq; es, non posse te sumptus
 ministrare magistro tuo, premente nimia egesta-
 te. Noli te decipe quasi fallere possis deum: sed un-
 de tu uiuis inde sustenta magistrū: quia si non ha-
 bes ex præſenti anno fruges, habes ex præterito, po-
 tes etiam impetrare mutuo a uicinis de futuro.

Quæ enim seminauerit homo, hæc & metet:
 quoniam qui seminat in carne sua, de carne &
 metet corruptionem: qui autem in spiritu,
 de spiritu metet uitam æternam.

Quæ em̄ seminauerit homo, hæc & metet, hoc ē,
 quælia fecerit, talia recipiet. Duos agros habemus:
 spiritum & corpus. Si seminauerimus in car-

ne, id est, si carnalia opera egerimus, & carnalia desideria secuti fuerimus, de ipsa carne metemus corruptionem, hoc est, damnationem accipiemus, & trademur in die iudicii penis inferni, ubi corrumpamur a uermibus & igni perpetuo. Si uero seminauerimus in spiritu, hoc est, si spiritalia opera adimpleuerimus, & precepto spiritus sancti obediētes fuerimus, de spiritu (id est, de spiritualibus operibus spiritus sancto donante) uitā eternā accipiemus.

Bonum autem facientes, non deficiamus.

id est, a bono opere quod inchoauimus, nō cessemus, sed in eo perseueremus, ut salutem consequi mereamur, quam dominus promisit, inquit: **Qui perseuerauerit usque in finem, hic saluus erit.**

Mat. 10.
& 24.

Tēpore eī suo metemus non deficientes.

Tempore enim suo, id est, tempore congruo & opportuno: metemus, hoc est, mercedem laboris nostri accipiemus, non deficientes a percipienda mercede operis. Modo est tempus seminandi, hoc est, bonū operandi. In die autem iudicii uel in die mortis nostræ, erit tempus messionis & collectionis. illa collectio nunquam deficiet, quia illa uita sine termino manet: annis quibus uoluentibus, illa semper uirescit & pollet. Ergo dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes.

Tempus seminandi & operandi uirtutes præsens uita est: quia post istam nō erit tempus & spatium penitentiae atque salutis. De hoc tempore dicit Apostolus alibi: **Eccē nunc tempus acceptabile.** In isto tempore debemus operari bonum ad omnes homines, ad fratres, ad hæreticos, ad paganos, tam in elemosynæ officio, quam in doctrinæ

2. Cor. 6

na uerbi. Omnibus em̄ hominibus misericordia
impēdenda est & doctrina fidei, imitādo patrē no-
strum, q̄ solē suū oriri facit super bonos & malos.

Maxime autem ad domesticos fidei
oportet bonum operari. Domestici dicuntur a do-
mo, q̄ in una domo nutriuntur & conuertuntur.
Ad om̄es quidē bonū debemus operari, hoc ē, ad
hereticos, ad paganos: sed maxime ad illos, q̄ in
una domo (id est, in unitate ecclesiæ) nobiscū sunt.
& qui eandē fidē habent: & præcipue ad illos, qui
uirtutē rectitudinis nobis ostendunt uerbo & exēplo.

**DOMINICA XVI. POST PEN-
teosten. Matth. V L.**

In illo tempore dixit Iesus discipulis suis:
Nemo potest duobus dominis seruire.
Et reliqua.



Cum ad uni⁹ dei cul-
turam dominus Ie-
sus Christus mētes
hominum puocaret, sci-
ens humanam naturam
deo simul & diabolo sub-
ditam esse non posse, ait
inter cætera: [Nemo po-
test duobus dominis ser-
uire.] Duo domini, deus
& diabolus intelliguntur.
Dominus enim a domi-
nati nomen accepit, q̄d

nomen illi specialiter conuenit, qui non solum gu-
bernator, sed etiam conditor est totius creaturæ,
qui est rex regum & dominus dominantium. Dia-

bolus enim non proprie, sed abusiue dominus dictus est, eo quod diuini sui tyrannidis in eorum mentibus, qui ei per mala opera subduntur, exerceat. His ergo duobus dominis unus idemque homo, uno eodemque tempore seruire simul non potest: quia ualde inter se contraria sunt & diuersa, quae dominus praecipit, & diabolus suggerit. Verbi gratia dominus praecipit humilitatem, & diabolus suggerit superbiam: dominus uocat ad castitatem, diabolus persuadet luxuriam: dominus largitatis elemosinam imperat, diabolus auaritiam: dominus pacem, diabolus discordiam: dominus dilectionem, diabolus odium. Et ut cuncta breuiter concludam, dominus uocat ad uirtutes, diabolus ad uitia. Et ideo non est humana mens tam ampla & capax, ut utranque uoluntatem, utranque seruitutem in se simul retinere possit. Deditur enim Christus eorum suscipere seruitia, qui mentis collum iugo diaboli supponunt, teste Apostolo, qui ait: Quae conuentio Christi ad Belial? aut quae societas luci ad tenebras? aut quae pars fidei cum infidei? Nulla. Et sicut alia scriptura ait: Nemo est qui utranque ualeat simul, & mittere manum suam in ambobus.

Iacob. 1. Hinc per Iacobum dicitur: Vir duplex animo, inconstans est in omnibus uis suis. Et per Isaiam prophetam: Vae peccatori terram ingrediendi duabus uisibus.

Ecci. 2. Aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet. Odiet uidelicet diabolum, & diliget Christum. Qui enim diligit deum, odit malum. Nemo enim tam ferre mentis est, qui se deum uerbis odire fateatur. Sed odire deum dicitur, qui eum non diligit, id est, qui eius praecipia non custodit, de quibus ipse

dicit. Quia uiderūt me, & odio habuerunt me gra-
tis. Qui autem contemnit deum, sustinet diabo-
lum durum & perniciosum dominum, quia nō so-
lum in perpetua pœna sed etiam in præsenti uita,
qui ei seruiunt, multa dura & aspera sustinēt. Sic-
ut enim onus Christi leue est & iugum suaue, ita
econtrario seruitus diaboli dura est & aspera. Vn-
de de his qui eius uoluntatem sequuntur, per Salo-
monem dicitur: Non enim dormiunt, nisi malefe-
cerint: nec capitur somnus ab oculis eorum, nisi
supplantaauerint. Et per prophetā: Ut inique age-
rent, laborauerunt. Sed quia diabolus hanc serui-
tutem maxime in eorum mētibus inuenit, qui aua-
ritia æstibus ardent, recte subditur:

Non potestis deo seruire & mammonē.

Mammona autem Hrbeice uel Syriace, Latī-
ne diuitiæ interpretatur. A quarū proprietate nō
longe societas Punice linguæ distat, quia Punice
mammon, Latine lucrū dicitur. Audiatur hoc aua-
rus, audiatur qui Christiano censetur nomine, & in-
telligat se deo simul & diuitijs seruire non posse.
Aliud est enim habere diuitias, & aliud seruire di-
uitijs. Qui enim diuitiarum dominus est, eas ut
dominus distribuit, implens illud quod per pro-
phetam dicitur: Dispersit, dedit pauperibus. iusti-
tia eius manet in seculum seculi. Qui autem earū
seruus est, non solum in acquirendis, sed etiam in
custodiendis sollicita seruitute torquetur. Et ideo
dū seruitute diuitiarū implicatus tenetur, a Chri-
sti seruitute euacuatur. Quia fluius dum in mul-
tis riuis diuiditur, a proprio alueo siccat. Vn-
de dominus ait in euangelio: Diuitiæ & uolupta-
tes suffocant uerbum, ut non ferat fructum. Hinc

Ioh. 15.

Pro. 4.

Iere. 9.

Psal. 112.

Matt. 13.

Iac. 4.

per Iacobū apostolū dicitur: Omnis q̄ uoluerit amicus esse seculi huius, inimic⁹ dei cōstituitur. Vnde eos q̄ Christo seruire desiderāt, dñs ad spontaneam paupertatem inuitat, cum subiungit, dicens:

Ideo dico uobis, ne solliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, neq; corpori uestro quid induamini. **I**ac̄i diceret: Quia non potestis deo seruire & mammonæ, ideo dico uobis, ne sol-

Mat. 5.

liciti sitis animæ uestræ. Beati enim pauperes spū, quoniam ipsorum est regnum caelorum. Vbi fortassis simpliciores quærunt, utrum cibus iste ad animam pertineat, cum anima incorporea sit & inuisibilis, cibus autem uisibilis. Quibus respondendū est, q̄a anima in hoc loco pro præsentī uita ponitur, cuius sustentaculum est cibus & potus, somnus & uestimentum. **Q**uæratur autem quare dixerit, Ne solliciti sitis animæ uestræ quid manducetis, cū in laude uiri sancti dictum sit per Pro-

Psal. 127

phetam: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit. Ad quod dicendū, quia in hoc loco dominus non laborem prohibuit, sed sollicitudinem uetuit. Laborare enim debet homo unde uiuat, non unde diues efficiatur, sicut primo homini dictum est: In sudore uultus tui uesceris pane tuo. Hinc Apostolus discipulis suis præ-

Gen. 3.

cipit: Magis autē laboret unusquisq; operādo manibus suis q̄d bonū est, ut habeat unde tribuat necessitatē patiētib; . Et ne cōs humana de p̄sentis uitę sustentaculo dubitaret, adhuc subiunxit, dicē:

Ephe. 4.

Nonne anima plus est quam esca, & corpus plus quam uestimentum?

Ac si diceret: Qui maiora præstitit dominus,

minora non negabit: qui dedit animam, dabit & cibum: & qui tribuit corpus, adjiciet uestimentū. Et ne mens humana sub fragilitatis occasione de presentis uitæ necessitate causaretur, dominus de uolatilibus cæli exemplum adhibuit, dicens:

Respicite uolatilia cæli, quoniam nō ferunt, neque merūt, neque congregant in horrea, & pater uester cælestis pascit illa.

Ac si diceret. Si deus uolatilia cæli, quæ animā irrationālē habēt, absq; aratri labore & sine sollicitudine merendi atq; in horrea cōgregandi pascit, nequaquam hominē, ad imaginem & similitudinem tuam factum, fame perire patietur. Vñ & subditur:

Nonne uos magis pluris estis illis?

Quod non ad numerum, sed ad imaginem pertinet, quod est dicere: pluris estis illis, i. rationales, quia meliores estis illis. Alius enim euangelista p uolatilibus cæli specialiter coruos posuit, dicens: Respicite coruos. Tradunt enim physiologi, quia qñ coruorū pulli, peccati fuerint, tandiu non a parentibus aluntur, quoadusq; nigrescentibus plurimis similitudinem eorum in se formare cōperint.

Luc. 12.

Sed q̄a a parētibus relinquūtur, dei, puidētia pascuntur, teste Psalmista q̄ ait: Qui dat iumentis escā ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eū.

Psal. 46

Vnde diuina uoce ad beatū Iob dicitur: Quis parat coruo escā suā, quando pulli eius ad deū clamant uagietes eo quod non habeāt cibos? Si ergo tā uilia uolatilia, quæ etiam hoībus superflua esse uidentur, deus fame perire nō patitur, nullo modo hominem ad imaginē & similitudinē suam factū, fame perire patietur, nisi forte peccatis abundātibus

Iob 35.

sterilitas terræ iusto dei iudicio cōtra naturā acci-
dat, Psalmista teste qui ait: Non uidi iustum dereli-
ctum, nec semen eius quærens panem. Et iterum:

Psal. 36.

Psal. 33.

Nihil deest timē tibus deū. Quia dñs superi⁹ solici-
tudine prohibuerat, nūc etiā & uestimētorū super-
suam curam uerat, cum adiungit:

Quis autem uestrum cogitando potest ad-
ñcere ad staturam suam cubitū unum? & de
uestimento quid solliciti estis?

¶ Si ergo omnibus patet, quia nullus ad staturam
suam cubitum uel minimam partem a dicere po-
test: ille qui in mensura & pondere & numero cum
cetera disposuit, sicut dedit mensuram corporis pro-
ut uoluit, sic dabit & uestimenti necessitatem. Un-
de etiam ad carnalium hominum superfluitatem
conuincendam, de rebus minimis similitudinem
adhibuit, dicens:

Considerate lilia agri, quomodo crescūt,
non laborant, neq; nent. ¶ Hic lilia agri pro omni-
bus herbis posuit, q̄s deus omnipotens sine textri-
cum labore mira uarietate depingit, alijs candidū
colorem præbens, ut lilijs: alijs rubicundum, ut ro-
sis: alijs purpureū, ut uiolis, int̄m ut nec Salomon
in omni gloria sua coopertus sit, sicut unū ex istis
id est, lilijs. Quoniam cum esset non solum poten-
tissimus, sed etiam omnium regum sapientissim⁹,
& disputasset de oibus herbis terræ a cedris libani
usq; ad hysopū q̄ egreditur de pariete, in omni glo-
ria sua nō potuit inuenire tale genus uestimēti, q̄d
esset cadidū ut liliū, rubicūdum ut rosa, purpu-
reū ut uiola. Sed q̄d tēporalis Salomō nō potuit in-
uenire in omni gloria sua, spiritalis noster Salomō

id est, dominus noster Iesus Christus, qui est uerus pacificus, habet in sua ecclesia, s. liliū in uirginibus, rosam in martyribus, uiolam in cōtinentibus. Et prudentissima cōparatione dominus iactantiam hominum redarguit, cum adiungit:

Si autem scenum agri, quod hodie est, & cras in clibanū mittitur, deus sic uestit, quanto magis uos minime fidei?

Ac si diceret: Si scenum agri, id est, herbas terre, q̄ ad abundantiam pluuiæ crescunt, & in ardore solis arescunt, deus tanta uarietate & decore uestit, nec uos nuditate uel frigore perire patietur, quos ad imaginem suam & similitudinem creauit. Sed cum eos quibus loquitur, minimos fidei uocat, ostendit quia fides augmentum habet. Qui enim non credit, infidelis est qui autem perfecte credit, rectæ fidei est: qui uero ex parte credit, & ex parte non credit, minima est fidei. Et talis fides augmentum desiderat, sicut apostoli dño dixerunt: Domine, adauge nobis fidem. Et centurio ille, qui pro puero rogaturus uenerat, cum audisset a dño: Credis? omnia possibilis credenti, respondit: Credo domine, adiuua incredulitatem meam. Finita autem similitudine, ad nostram admonitionem iterum sermonem conuertit, cum ait:

Luc. 17.

Marc. 9

Nolite ergo solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. ¶ Gentes dicit, alienos a fide, ethnicos & paganos, qui deum nesciunt, & uitam eternā non credunt, & ideo tantum de presentibus solliciti sunt, ut habeant quid manducent usque ad crapulam, & qd

bibant usq; ad ebrietatem, & quid induatur usq; ad iactantiam & superfluitatem. Nam preciosa uestis non nisi propter inanem gloriam requiritur. Vnde dominus in hoc loco bene iuxta alium euangelistam fertur dixisse: Et nolite in sublime tolli. Nobis autem, qui solliciti seruire debemus unitatem spiritus in uinculo pacis, & quorū spes in altera uita est, in quo nostram sollicitudinem ponere debemus, manifestat cum adiungit:

Luc. 12.

Scit enim pater uester q̄a his omnibus indigetis. ¶ Pater noster ille est, qui nō solum nos dignatus est creare, sed etiam redimere, & per spiritum sanctum suū regenerare. Cui quotidie in oratione dicimus: Pater noster q̄ es in celis, sanctificetur nomen tuū. Ille enim q̄ nos creauit, sciēs signum nostrum, & considerans fragilitatem nostrā, si nos p̄ æterna uita sollicitos esse uiderit, absq; magna sollicitudine uictū & uestimentū ministrabit. Ipse enim scit qd nobis necesse sit, antequā petamus eum. Nam in quo uelit nos esse sollicitos, & qd ab eo petere debeamus, ostendit cum ait:

Mat. 6.

Quarite ergo primū regnū dei & iustitiā eius, & hæc omnia adijcientur uobis.

¶ Primum autem, id est, p̄cipue regnum dei & iustitiam eius querere monet: quia ante omnia & super omnia hoc petere, hoc querere, hæc amare & desiderare debemus, ut regni cælestis participes simus. ¶ Notandū autē quod non ait, Hæc omnia dantur uobis, sed adijciētur, ostēdēs illud esse principale bonū qd datur, id ē, regnum dei & iustitiam eius: hæc omnia quæ adijciētur, tantū in presentī uita esse necessaria, id est, uictum & uestitum,